



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Ancyranvm Concilivm Semiarianorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

An fuerit
catholica.

tamen in his consubstantialitas Filii cum Patre dolose non exprimitur, Athanasius eas ut hæreticas merito abdicauit, ideo saltem, quod abdicatione vocis *substantia*, iam ad Arianam blasphemiam aditus apertus esse videretur. Ex Epiphani. Hieron. & Athan. Baron. ann. 357. num. 24. 25. & 26. & ann. 359. num. 10.

ANNO
CHRISTI
317.

^a ANCYRANVM ^b CONCILIVM ^c SEMIARIANORVM.

Ancyra
quæ.

^a *Ancyranum.*] Ancyra est vrbs in Galatia, sic dicta, auctore Plinio lib. 5. cap. vlt. ab ancoris nauium a Mithridate captarum, quas Ptolemæus rex Ægypti Galatis seu Gallogræcis suppetias miserat. Huius meminit Ptolem. l. 5. c. 4.

ANNO
CHRISTI
338.

Causa &
acta Con-
cili.

^b *Concilium.*] Orientales episcopi secundam illam ac perfidam Sirmianam confessionem fidei detestati, Sirmio recedentes in Asiam migrarunt, atque Ancyra in Galatia an. Dom. 338. conuenerunt, ibique ablegatum a Filio Dei *substantia* nomen restituentes, impia statuta secundæ confessionis ac formulæ plane condemnarunt, Filiumque Dei secundum substantiam Patri per omnia similem esse asseruerunt. Vnde, ut fidem suam profiterentur, duodecim regulas ac definitiones fidei secundæ Sirmiensi plane contrarias, quas recenset Hilarius lib. de Synodis, expresserunt, easque per legatos ad Constantium imperatorem Sirmii morantem miserunt. Quas cum ille accepisset, orientales vero omnes ad Ariminense Concilium profecturi, opportune Sirmii, ubi imperator agebat, reuertissent, post secundam Sirmiensem confessionem publico edicto reprobata, iussu imperatoris ibid. 11. Kalend. Iunias nocte illucescentis sacri diei Pentecostes, tertiam Sirmiensem fidei formulam, supra ex Athanasio recensitam, composuerunt; eamque sua subscriptione munitam, atque Ariminum apportatam, ibidem in Concilio Ariminensi recitarunt. Ita latro cruci adiudicatus Christum confitetur, quem Petrus in periculo constitutus abnegauit. Vide Baron. ann. 337.

Dum Osius
fidem ne-
gat, Semi-
riani eamde
confitentur.
Semiariani
qui & cur
sic dicti.

^c *Semiarianorum.*] Semiariani dicebantur, qui Arii nomen detestati, diuinam in Filio Dei substantiam utcumque specie tenus confitebantur: quia tamen vocem *consubstantialitatis* non recipiebant, Nicænumque symbolum explodebant, Semiariani nominabantur. Horum erat illa fidei professio, quæ Antiochiæ in encæniis, Sardicæ & Sirmii primo & tertio loco edita fuit, quæque hic Ancyra declarata fuit. Principes Semiarianorum erant Basilius Ancyranus, Eleusius Cyzicenus, Siluanus Tarsensis, Georgius Laodicenus, Macedonius Constantinopolitanus, Eustathius Sebastenus, paucique illi, qui apud Epiphani. hæresi 73. Concilio Ancyrano subscripti reperiuntur. Hi Concilio Seleuciensi ab Arianis damnati, sedibus suis deturbati fuerunt, ac paulo post auctore Ma-

Post Seleu-
cense Con-
cilium sunt
Pneumatoma-
chi.

Ariani qui.

ANNO CHRISTI 357.
358.

cedonio diuinitatem Spiritus sancti negarunt. Ariani autem dicebantur, qui in deterius prolabentes nullam in Filio admittebant vocem diuinæ substantiæ, vel omnimodæ cum Patre similitudinis. Horum antesignani erant Acacius Cæsariensis, Eudoxius Antiochenus, Valens & Ursacius Pannoniæ episcopi impietate spectatissimi, aliique plures, quorum tantus erat numerus, vt vere queratur Hilarius lib. de Synod. in decem Asiæ prouinciis vnum tantum reperiri Eleusium episcopum, & paucos cum eo, qui essent Filii Dei substantiæ assertores. Vide Baron. ann. 358. num. 15. Item 359. num. 97. & 115.

ANNO CHRISTI 358.

CONCILIVM INCERTI LOCI.

IN QVO PERFIDIA SIRMIENSIS, HOC EST formula fidei per Osium & Potanium Sirmii conscripta, ab episcopis Galliæ damnata est, anno Christi ccclviii. Liberii Papæ viii. Constantii Aug. xxi. in Gallia v.

SYNODI huius notitiam S. Hilario debemus, qui de Synodis scribens ad episcopos Galliæ, laudat illos, quod missam ad se Potanii atque Osi blasphemiam damnarint, quæ ὁμοουσιου καὶ ὁμοουσιου, id est tum eiusdem, tum similis substantiæ vocabula supprimebat. Beatae, inquit, fidei vestræ literis sumptis, gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos & illæfos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse; & missam proxime vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modo non suscepisse, sed nuntiatam etiam significatamque damnasse. Et alio post loco significat iis ipsis prope diebus illos hæresim respuisse, quibus orientales, vt eandem examinarent, Synodum Ancyranam celebrarunt. Celebrarunt autem, vt ex eiusdem Synodi epistola, quam recitat Epiphanius hæresi lxxiii. liquet, paulo ante dies Paschæ. Quare sub idem tempus Concilium hoc in Gallia coaluisse haud dubium est, sed quo loco incertum. Extat porro Phœbadii Aginnensis in Aquitania episcopi aduersus Arianos liber, in quo Sirmiensem eandem formulam, nuper, vt scribit, ad Gallos missam, per singula capita discutit, firmissimisque rationibus confutat. ita vt Synodicæ, qua caremus, Concilii huius loco Phœbadii liber esse possit.